



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

I. Meditatio: De Amore Dei.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



# DIES OCTAVA

*Sancto, cujus nomen geris,  
consecranda.*

Oratio jaculatoria hujus diei  
erit ista: *Amo IESUM a-  
more MARIÆ: amo MA-  
RIAM amore IESU.* Actus  
iste usitatus fuit Patri Gas-  
pari Druzbecki Societatis  
JESU.

## MEDITATIO I.

*De Amore Dei.*

Contemplatio ad amorem spiritualem  
in nobis excitandum ponitur à S. P. N.  
in Lib. Exerc. Hebdom. 4.

ORATIO PRÆPARATORIA con-  
suetæ.

PRÆLUDIUM I. Cogita te stare  
coram Domino, Angelis, Sanctisque  
omnibus tibi propitiis.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo  
gratiam, per quam beneficiorum ejus

in te collatorum magnitudinem percipiens, ad amorem, cultum, ac servitium ipsius totum te impendas.

**P**UNCTUM I. Audi Deum dicentem: *Jerem. 31. In charitate perpetua dilexisti te*: Et considera, impendere se Deum amori tuo penè ac totaliter, seipsum nempe totum, totumque reliquum Universum, Imprimis enim amor, quo te Deus amat, est ipse Deus, nihilque est in Deo, quò te Deus non amet. Deinde amat te Pater æternus, Filium suum tibi dans; amat te Filius, Incarnatus, passus, mortuus pro te, & cibus factus pro te; amat te etiam Spiritus Sanctus, donis suis te illuminans, ornans, sanctificans; amat te Omnipotentia, creans & conservans te, amat Essentia & immensitas semper tibi præsens; amat sapientia & providentia gubernans te; amat æternitas, immortalem te faciens. Insuper amat te Deus toto universo, dum omnes creaturas, etiam ipsos Angelos, ordinat in ministerium tuum. Expende hunc Dei tui amorem erga te, & vide, an respondeas illi pro modulo tuo, & an illum ames toto te, toto corde, toto eo, quod habes, quod es; toto eo, quod agis, & pateris; proponeque meliora.

II. Audi Prophetam de Deo dicen-

tem: *Isa. 69. In dilectione, & indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos.* Hoc audiens considera, amari te à Deo summè & super omnia. Imprimis enim amat te supra omnem aliam creaturam, quia nulli creaturæ tantum præstitit & præstat, quantum tibi, ô homo. Cui creaturæ alteri hypostaticè unitus est Dei Filius? pro qua passus; cuius factus cibus? Quod etiam amet te Deus-Homo supra vitam suam mortalem, audi Augustinum: *Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori dignatus es propter me.* Deus ergo amat te super omnia; & tu non amabis Deum super omnia? Vide jam, si est aliquid, quod plusquam Deum, vel non propter Deum ames, & repudia omnia.

III. Audi Deum tibi dicentem, *Isaia 5. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Hoc audiens, considera, amari te à Deo non solo affectu, sed te ipsâ; existens enim in omnibus & singulis creaturis tibi deservientibus, dat illis esse, posse, vivere, sentire, moveri, intelligere, permanere, propter bonum usumque tuum: præsens ipsemet tibi in singula momenta te conservat, & veluti de novo creat te, providet & prospicit tibi: cum ipsis creaturis deservit tibi; cum sole tibi lucet; cum igne te calefacit; cum terra te sustentat; cum aëre tibi dat

respirationem ; specialiter autem , ut auctor supernaturalis , assidue operatur in anima tua : hæc tibi Deus ! & tu non repones miserum amorem tuum tanto amore Dei tui ? contentusne eris solo affectu , eoque inefficaci ? non laborabis pro Deo usque ad defatigationem ?

COLLOQUIUM. Amas me , ô charitas , in immensum , Deus meus ! & ego nec cum mensura quidem repono tibi amorem ! ergo abhinc diligam te Domine ! sed , ah serò cognovi te , pulchritudo tam antiqua ! amo ergo tandem te , toto me. *Suscipe Domine , universam meam libertatem , accipe memoriam , intellectum & voluntatem meam : quidquid habeo , & sum , mihi largitus es : totum id tibi restituo , tuamq; adoranda trado & subdo voluntati ; amorem tui solum mihi dona , & dives sum satis , nec aliud quidquam ultra posco.*

In fine Pater , Ave , & Anima Christi , &c.





## DOCTRINA PRACTICA,

Tempore matutino diei  
octavæ relegenda.

## De præsentia Dei.

**I**Nnui suprâ, in Hôra Considerationis diei tertiæ, oblivionem præsentis Dei esse fontem omnium defectuum; & in Hora Considerationis diei septimæ, sicut homines sæculares, ita & Religiosos destrui, defectu actualis fidei de præsentia Dei. Atque hæc ibi incidenter; hoc loco de Religioso usu ejusdem præsentia Dei ex professo agendum duxi.

Primò, itaque certum est, uti ibidem dixi, efficacissimum esse remedium contra peccata memoriam præsentia Dei. Nam, ut ait Clemens Alexandrinus *lib. 3. de Pedag. cap. 5.* *Hæc solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.* Hoc remedio S. Paphnutius Thaidem meretricem, & S. Ephrem aliam procacis viræ mulierem ad frugem reduxit.

Secundò, certum est, nihil esse præsentius ad vincendas tentationes, ad evitanda pericula, & difficultates omnis generis superandas, quàm memoriam

præsentia Dei. Experiencia suâ id didicit Propheta Domini, ita ut audenter pronuntiaret, *Psal. 22. Etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Tertiò, certum est, jugem præsentia Dei memoriam, vitamque illi accommodatam, esse compendium & summam perfectionis in hac vita: conclusit Deus ipse veritatem hanc, dum docens Abrahamum, quomodo posset esse perfectus, dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus, Gen. 17.* Hinc quocunque placuerunt Deo, in memoria præsentia Dei potissimum enituerunt. Elegit Dominus duos ex omni carne, qui nondum sunt mortui, servati que ad certamen cum Antichristo; & in quo præcipue hi tam privilegiati servi Dei excelluerunt? hoc de illis refert Sacra Scriptura, *Genes. 2. Ambulavit Henoch cum Deo.* Quem aliqui Judæici censuerunt fuisse Angelum incarnatum, ut Cornelius à Lapide refert in hunc locum. Eliæ verò quid vivacitas inhæserat, quam præsentia Dei? hoc in ejus ore frequens fuit: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. 3. Reg. 17.* Pretiosissima Filii Dei Mater omnes puras creaturas superavit perfectione; quam autem Dei præsentis indefinenter memor fuerit, innuitur in canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat, cap. 5. v. 3.* Quæ verba nonnulli SS. Patres, &

Theologi explicant de B. V. ducuntque eam etiam in somno Dei memorem fuisse. Immo S. Bonaventura, S. Bernardinus, & noster Canisius tradunt, pluribus Sanctis revelatum esse, quod B. Virgo integras ferè noctes orando & meditando traduxerit, ut adnotat Cornelius in hunc locum. Verba S. Bernardini digna relatu sunt, *Tom. 2. serm. 91. art. 1. c. 2. Somnus, qui abyssat, & sepelit in nobis rationis & liberi arbitrii actus, & per consequens actum merendi, non credo, quod talia in Virgine operatus fuerit, sed anima ejus libero ac meritorio actu tunc tendebat in Deum.* Adjicio exemplum è nostris unum, de Petro Cottono, in cujus vita lib. 2. c. 10. scribitur, quod singulari Dei beneficio decem circiter annis ante mortem, etiam dormiens, liberi arbitrii usum habuerit, ad orationem ac meditationem, & consequenter ad Dei præsentiam memoriã retinendam.

Quartò, certum est, nullum Religiosum posse esse verum Religiosum, nisi se exerceat in usu frequenti memoriæ præsentis Dei. Quia cum nullus possit esse verus Religiosus, nisi tendat semper ad perfectionem, juxta superius dicta, & perfectio consistat in jugi memoriæ præsentis Dei, juxta proximè dicta; manifestè habetur, neminem posse esse verum Religiosum, nisi se exerceat in usu memoriæ præsentis Dei. Ex quo etiam

facile est colligere, quod Religiosus, qui sub mortali obligatur tendere ad perfectionem, plurimum etiam obligetur, exercere usum memoriae praesentis Dei. Facile quoque est ex dictis colligere, quod, si quis velit scire profectum suum in via Dei, inde possit noscere, an & quantum profecerit in memoria praesentis Dei per diem & noctem; in memoria, inquam, non qualiquali, sed cum reverentia, amore, & conformatione vitae ad exigentiam praesentis Dei.

Quintò, certum est, memoriam praesentiae Dei esse inchoationem beatitudinis aeternae in hac vita: sicut enim beatitudo caelestis consistit in visione divinae faciei, sic inchoata beatitudo terrestri consistit in hoc divino intuitu: hinc Glossa ordinaria ad illud 3. Reg. 17. *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, ait; In conspectu Domini stat justus modò, stabis & in futuro. Mens repletur recordatione praesentiae Dei, quid nisi calum est? Semper Dei, meminervis, & calum mens tua evadet, & S. Ephrem ait: Qui est semper memor Dei, est sicut Angelus: Angeli enim semper vident faciem Patris.* Sed jam commemorandae sunt praxes aliquae frequentis memoriae circa praesentiam Dei: ex quibus sit haec.

1. Occasionibus habendae in memoria praesentiae divinae, quae in vita Re-

ligiosa quotidie occurrunt, bene uti: ita enim est ordinata vita Religiosa, ut, nisi velit hoc ipso delinquere, non possit non frequenter meminisse Dei Religiosus: quod inde constat; Impendis enim quotidie, Religiose, ex præscripto Religionis horam integram meditationi, præparationi illam præcedenti, & reflexioni subsequenti: ecce jam plusquam una hora, in qua non solum potes, sed debes esse memor præsentis Dei. Deinde paras te ad Sacrum saltem per quadrantem; absolvis Sacrum per dimidium horæ; in gratiarum actione moraris saltem per quadrantem; ecce iterum hora, in qua obligatis meminisse Dei. Officio Canonico Sacerdotali persolvendo impendis quotidie plusquam horam, nunquid in ea non debes esse memor Dei, quem alloqueris? jam in examine Matutino & Vespertino, Litanis, colloquiis Spiritualibus, Salutatione Angelica, singulis horis dici solitâ, & ad ternum per diem pulsum ter repetitâ: nomine Dei toties per diem invocato & audito; in ipsis denique circa animas Religiosis functionibus, concionibus, confessionibus, instructionibus, quot & quantæ sunt occasiones exercendi memoriam præsentis divinæ! Utere ergo Religiose, his occasionibus, prout debes & eris memor Dei, Deusque erit memor tui, & firmabit super te oculos suos.

2. Orationibus jaculatoriis ad Deum frequenter uti, quas mirum in modum commendant Sancti Patres, & viri ascetici. S. Augustinus Epistolâ ad Probam ait: *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas brevissimas, & raptim jaculatas, &c. dum sportulas texebant; dum manibus laborabant, &c.* Unum ex jaculis hujusmodi jaciebant: *Diligam te Domine fortitudo mea!* hæc eadem jacula etiam nos, manu linguæ vel cordis, jacere possumus, quocunque loco, in quocunque negotio. Vocantur autem hæc Orationes jaculatoriæ, quòd vi amoris jactantur in Deum, & sicut sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, ita hæc jacula nunquam sint sine fructu. Jecit semel tantum jaculum tale latro in cruce, jecit, inquam ad cor Christi, dum dixit: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum, & ô quàm jaculum hoc non rediit retrorsum!*

3. Micas temporis & minuta, quæ inter finem & initium diversarum occupationum, atque in ipsis occupationibus identidem intercurrunt, non sinere frustrâ abire, sed in iis memoriam præsentis Dei non per aliquas imaginationes, caput fatigantes & lædentes, sed per actus fidei, spei, amoris, aliarumque virtutum ad Deum directos, occupare, adhibito circa hoc etiam examine particulari.

Hæc si ex parte tua adhibueris, Religiose, docebit te Unctio Spiritûs Sancti modos alios habendi semper in memoria præsentem Deum, qui tibi in omni actione ita inhærebit, sicut febricitanti, in omni, quod agit, inhæret calor ejus febrilis.



## DIEI OCTAVÆ MEDITATIO II.

*De amore pretiosissima Dei  
Parentis.*

Quantum nos affici erga Matrem Dei & nostram, Virginem Beatissimam, velit S. P. N. patet ex tot colloquiis, quæ in Exercitiis suis præscribit, & dirigere ad eam jubet.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Constitue te coram pretiosissima Dei Matre, totam Societatem nostram sub pallio suo continente, ut ostensum Venerabili Patri Gutierrez.

PRÆLUDIUM II. Pete à Christo Domino gratiam affectûs teneri, intensi & æterni erga Matrem ejus.